



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ LIBER SECUNDUS.

Quo quadruplex Causæ cognitio, in Romanis Congregationibus ab anno 1597.

annum 1602. habita, describitur.

CAPUT I.

Rome Litam instruit F. Didacus Alvarez, Prædicatorum Hispaniæ Procurator, Primi in Societatis defensionem prodeunt Robertus Bellarminus, & Petrus Arrubal, De Bellarmino opportuna digestio.



Am Romam a die 7. Novembris anni 1596. feliciter attigerat Didacus Alvarez, Prædicatorum Hispaniæ Procurator, ac etiam tunc scripta a supremo fidei Quæsitore transmissa desiderabantur, cum ille, morarum impatiens, coram Clemente VIII. solemniter exposulavit. (1) Contra Molinæ CONCORDIAM, ejusque in primam D. Thomæ partem Commentarios, libellum supplicem obtulit mense Junio anni 1597., rogans, ut, donec desiderata Hispaniæ instrumenta afferrentur, horum interim librorum examini selecti Censores incumbere: quo, visis tandem partium documentis, res citius conficeretur. Sic porro supplicavit.

BEATISSIME PATER.

Exorta Hispaniæ magna controversia, & differentia inter Theologos Ordinis Prædicatorum ex una parte, & multos Theologos Societatis Jesu ex altera, circa quasdam novas assertiones Ludovici Molinæ de eadem Societate, quas defendit in sua CONCORDIA liberi arbitrii, & prima parte quæst. 14. & 23. Vestra Beatitudo, matura consideratione, volens in hujusmodi controversiis de opportuno remedio providere, Inquisitoribus supremi Senatus Regni Hispaniæ præcepit anno Domini 1594. ut librum prædictum CONCORDIÆ examinarent, & censuram propositionum, quæ in illo continentur circa efficaciam Auxilii Divini, ab omnibus Universitatibus, & Doctoribus Theologis ejusdem Provinciæ requirerent, ut judicium circa

hujusmodi propositiones Vestra Sanctitas proferret, atque bono fidei, & paci Universalis Ecclesiæ, paterna pietate consulere. Quod & per Inquisitores Hispaniæ fuit statim, ut par erat, executioni mandatum. Sed quoniam ipse Ludovicus Molina in sua CONCORDIA liberi arbitrii, non tantum circa efficaciam Auxilii Divini, sed etiam circa Prædestinationem, circa scientiam Dei, & providentiam, & circa alias potissimas Theologiæ materias, multa docet temeraria, & erronea, propter quæ libellus ille a multis viris doctissimis, & piis perniciosus in Ecclesia reputatur, & multi sectatores, & defensores Molinæ conantur ejus propositiones tueri, varios libros imprimendo, & eas publice docendo non solum in disputationibus, & lectionibus, sed aliquando etiam in concionibus publicis, non sine magno scandalo, & perturbatione totius Christianæ Reipublicæ; unde & libellus ille in Hispania denunciatus est apud rectissimum Inquisitionis Tribunal: quorum omnium fidelissimum testimonium perhibet Illustrissimus Cardinalis Davila, qui in supremo Inquisitionis Tribunali Regni Hispaniæ aderat, quando hæc causa ad idem Tribunal delata fuit, & ibi pertractata: Ad pedes Sanctitatis Vestræ devoluti humiliter petimus, ut, si inventus fuerit perniciosus, prohibeatur simul cum his, quæ Auctor docet prædictis quæst. 14. & 23. ubi eadem repetit, & docet, quæ in libro CONCORDIÆ, & multo pejora. Manifestum namque periculum ex dilatione ipsa in hac parte imminere videmus, atque experientia quotidiana conspicimus. Siquidem Juniores Theologi, qui juvenutis animositate, nova quæque curiosa in Mysterio, tam difficili ad intelligendum, facile amplectuntur, cum magna postea difficultate (si semel venenum alicujus falsæ doctrinæ imberint) veram, & antiquam liberi arbitrii cum Gratia donis concordiam sustineant. Atque Deus Opt. Max. per Jesum Christum Domi-

minum Nostrum, ad omnium errorum exterminationem, ad fidelis populi salutem, atque ad sui Nominis gloriam, Vestram Sanctitatem incolentem servet.

Brevem etiam Prædicatorum Apologiæ summam, secundis curis elaboratam, obtulit Alvaresius Michaeli Bonello, Cardinali Alexandrino, Ordinis Protectori, qui eam hoc ipso mense Summo Pontifici in manus dedit. Quid Pontifex ipse, suscepto scripto, deliberarit, insinuat Gabriel Henao Theologus Societatis. (1) Apologiæ summam Roberto Bellarmino tradidit, qui eam statim multis impugnavit, id potissimum Prædicatoribus vitio vertens, quod Societatis opinionis maxime, ut aiebat, controversas, novitatis incircumspecte damnasset. In eadem sequenti anno calamum acuit Petrus Arrubal; cujus elucubratio, marginalibus Alvaresii notis, & observationibus confutata, legitur in Angelica Augustinienfium Bibliotheca.

Hæc duo obiter notare libuit, ut ex domestico Societatis Scriptore revinceretur Pauli Leonardi, & Ripaldæ incauta dicacitas, quæ primam hujus causæ cognitionem, insciis Patribus Societatis, Romæ factam effluunt. (2) Quo etenim pacto instructum Romæ quæstionem ignorasse dicendi sunt, qui prima ipsa adversæ partis instrumenta, statim atque oblata sunt Judici, obtinuerant, inspexerunt, impugnarunt? Quanquam, etsi ea confutanda fabulæ momenta minime suppetere, ipsa per sese abunde sufficeret justa presumptio, quæ nec Summum Pontificem præscriptas juris formulas adeo ignorasse, aut neglexisse censendum est, ut litem inaudita parte, intritui voluisset; nec Jesuitæ adeo supini, ac desides existisse putandi sunt, ut in causa, quæ universi Ordinis honor vertebatur, interjectam per semetipsos appellationem persequi, & partis adversæ motus observare neglexerint.

At ecce, in laudando Gabriele Henao, pessimæ nos fidei postular Quæstionum eventilator, (3) multoque sale, ac facietis ludit. Evolutum a se librum, inquit, nihilque ejusmodi quidquam deprehensum; immo interrogatum per litteras Auctorem, etiamnum in vivis agentem, qui nusquam a se memoratam Bellarmini Responsonem, rescripto significavit. Accipe itaque Gabrielis Henao ipsissima verba, loco jam a nobis in priori Editione ad marginem indicato, nempe Protestatione 2. N. 98. & 99. pag. 24. Operis inscripti: *Scientia-Media, Theologica defenjata*, Editionis Lugdunensis, apud Laurentium Arnaldum, & Petrum Bordeum anno 1674., & quam tenere violatæ fidei postulemur, experire.

Anno 1597. Bellarminus in Responsonem, justu Clementis VIII. præstita ad Memoriale quoddam Patrum Prædicatorum, inquit circa primam rationem: *Auctores Memorialis gratis sibi assumere possessionem antiquæ doctrinæ, & adversariis tribuere novam doctrinam. Nam de hoc ipso est controversia, a qua parte sit antiqua doctrina; non est enim quæstio, an sit sequendus Augustinus, S. Leo, & Concilium Arausiacum secundum? Si consulatur libri impressi, invenientur Patres Societatis non minus, ne dicam magis, probare omnia sua testimoniiis antiquitatis, quam faciant Patres Prædicatores. Quæstio igitur præcipua est, an prædeterminatio physica voluntatis humane, a Deo facta, sit consentanea Scripturis, Conciliis, & Patribus; an dissentanea? Patres enim Societatis contendunt, non esse consentaneam, & maxime Concilio Tridentino; & proinde no-*

Serry Tom. I.

*viam. Quare cum his adhuc pendeat, ut Auctores Memorialis fateantur, cur tum in hac prima ratione, tum in cæteris omnibus, quasi res judicata esset, & Patres Societatis damnati essent, ut novatores, passim eos vocant Auctores, & fautores novæ doctrinæ? Quid enim hoc est, nisi præcipere judicium Apostolica Sedis, & canere triumphantium ante victoriam? Accedit, quod in hac ipsa ratione, ne fateantur Auctores Memorialis, tot SS. Patrum testimonia esse allegata pro utraque parte, tot universitatum, Prælatorum, Episcoporum Censuras circumferri pro alterutris scriptas, ut biennium non sufficeret ad ea legenda. Quomodo igitur tam facile judicant, doctrinam Patrum Societatis esse novam, quam fateantur, tot SS. Patrum testimoniis esse munitam? Præterea in Responsonem ad 3. rationem subjungit: *Adhuc sub iudicio lis est, an, quam Patres Prædicatores docent circa materias controversas sit antiqua S. Augustini, & Thomæ doctrina; an nova, & a recentioribus excogitata? Nec doctrina S. Augustini, & S. Thomæ a Patribus Societatis rejicitur, sed retinetur, & colitur: quamvis interdum aliqui ex Patribus Societatis dissentiant ab aliquibus Patribus Prædicatoribus in explicatione S. Thomæ: quemadmodum frequentissime ipsi inter se Patres Prædicatores in ejusdem S. Thomæ explicatione dissentiant.* Insufficit per in Responsonem ad 4. *Quod reprehendunt Societatis Patres, cum eos dicunt adversari antiquæ doctrinæ, & insinuant, ab eis negari Gratiam efficacem; jam sepe respondi, præcipere illos judicium Sedis Apostolicæ, & assumere, quod probare debent. Gratiam enim efficacem, & doctrinam veram omnes admittunt: sed controversia est de modo efficacia, & quibus modis magis cum vera doctrina congruat.**

Anno 1598. Pater Petrus Arrubal in Responsonem ad Librum, oblatum Cardinali Alexandrino, Protectori Dominicanorum, olimque Dominicano, a Magistro Didaco Alvarez, totus est, ut Capite 2. adstruat, doctrinam Molinæ non esse novam. &c.

Annon hic geminas Bellarmini, & Arrubalis Responsones memorat Henao, a me jam pridem vocatus in testem? Annon utrique scriptioni distinctam temporis notam præfigit; uni quidem annum 1597. alteri annum 1598.? Immo plura habet, quam ex illo laudaremus, qui, paucis interjectis, Libellum Memorialem, supremæ Inquisitioni Romanæ eodem anno exhibitum, memorat, pro defensione Molinæ, ut hinc videas, quam temere nobis mendacium exprobrat novissimus Disputator, quantavæ fiducia nullum, ante annum 1599. Romæ Jesuitam auditum effutiat, qui Molinæ causam ejus vice defenderet. Gabrielis igitur Henao mentem cum annis consensuisse, necesse est, si quam magna ex parte transcripsit Bellarmini Responsonem, nusquam a se indicatam, rescripto significavit. Neque juvat, quod idem in suo Eratorum Indiculo reponit, Bellarmino alteri Libello Responsonem adonasse, quam qui, Cardinalis Bonelli opera, Clement. VIII. adversus Molinæ doctrinam oblatum erat. Quamquam enim ita res esset (quod expendere præsentis non est otii, atque intritui) perinde omnino foret, idemque Argumento robor constaret, ut ex Bellarmini Responso, auditos Jesuitas colligamus, ex quo primum causa Romæ agitari cepta est; cum is anno 1597. adversæ partis instrumentis, quævis tandem illa sint, jubente Pontifice, distincte responderit.

Non deerit interim qui hic vehementer addubitet,

L. 2.

(1) De Scient. Med. prot. 2. n. 98. & 99. (2) Paul. Leon. 1. p. sect. 4. n. 18. Ripald. disp. 113. sect. 9. (3) Quæst. cap. 1.

(1) En 2. Relat. Pegna & Alvar.

biter, qua demum fieri forte poterit, ut Bellarminus, qui pro Augustiniana, ac Thomistica doctrina jam pridem in scholis, editisque libris de certaverat, Molinamque iudicio Ecclesie dimittendum existimaverat, in illius nihilominus defensionem adeo fervide venerit, cum primum Societatem universam huic negotio implicitam vidit. Verum dubitationem excutiet omnem, quisquis ad Societatis leges attenderit, quibus præcipitur singulis, ut in opinionum defectu communi Societatis iudicio pareant. Ita quippe in Statutis Cap. 3. inter Interrogationes recipiendis faciendas; Interrogetur, an habuerit, vel habeat conceptus aliquos, vel opiniones ab iis differentes, que communis ab Ecclesia, & Doctoribus in eadem approbatæ tenentur. Et si quando huiusmodi opiniones animi subierint, num paratus sit ad iudicium suum submitendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate, de huiusmodi sentire oportere. Et in 3. Constitutionum parte, c. 1. lit. O. Novæ opiniones admittende non sunt. Et si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia, & eius Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subicere. (Alii, definitioni Ecclesie, veritatis Magistræ, potius quam Societatis, subijciendum sensum statuerunt) In opinionibus etiam, in quibus Catholici Doctores variant inter se, vel contrarii sunt, ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est. Quid mirum ergo, si professionis suæ memor Bellarminus, Societatis, Molinianas opiniones communi studio vindicantis, iudicium propriæ sententiæ, in exteriori saltem causæ tractatione, prætulit? Nec vero mirandum magis, quod suum etiam Molinianæ causæ patrocinium ad Purpuram assumptum impenderit. Fecit id non contracta solum ex prioribus officiis obligatio, sed & ipsa professionis religio, secundum quam Jesuitæ, ad Ecclesiasticas Dignitates assumpti, Præpositi Generalis monita sequi tenentur ex simplici voto, cuius eum tenacissimum fuisse, traditur. (1)

Cæterum, an in huiusce controversiæ tractatione eoque protenderit Bellarmini in Societatem affectus, ut non sua tantum officia illi devoverit, sed & pristinas de Divina Gratia opiniones exuerit, ac Molinianas eberit, non ita facile quis definit. Dicam ipse, quid potissimum observarim.

Ante annum 1585., quo Lessius, & Hamelius Lovanii novare cœperunt, Augustiniana ibidem dogmata tradiderat, ac defenderat Bellarminus. Fidem rei faciunt Theologi Lovanienses in celebri Censura, (2) ac ipsi etiam Theologi Societatis. (3) Factum nequaquam inficiatus est Lessius, dum Academiæ Censuræ respondit; sed Bellarminum, rebus accuratius expensis, palinodiam decantasse, contendit. Lessius male fidei postularunt Lovanienses in suæ Censuræ defensione: palinodiam gratis assertam, nulloque momento probatam, pernegarunt. Non eam tamen vir bonus, productis instrumentis, confirmavit, fidemque suam liberavit, dum Academiæ secundo respondit: sic ut falsitatis convictus non immerito credi possit, ac debeat.

Supplicias tamen desperata Lessii causæ nuper attulit Gabriel Henao. (4) Librum in Lessii defensionem, pendente Lovaniensi diffidio, a Bellarmino editum, & in Romanis Societatis scriniis asserturum effuturum. Felices nos! si sacrum illud Cæteris arcanum penetrare fas esset; aliena fortassis minervæ partum Eminentissimo Theologo suppositum agnosceremus. Ad dicat interim, amabo, subsidiarius miles, cur librum hunc in suæ libera-

tionem fidei non exhibuit Lessius, a Theologis Lovaniensibus læcessus, putidæque imposture postulatus? Cur non eum Societatis Theologi anno 1601., dum de Bellarmini sententia adeo in Congregationibus agebatur, in medium protulerunt? At servabatur tempori maturandus.

Confopito deinde Lovaniensi diffidio, de edendis Bellarmini lucubrationibus in Germania actum, Displacere Germanis Societatis Editoribus nonnullæ hujus opiniones, quas propterea libere sustulerunt, & immutarunt. Interpolatorum veridicam ne carpere cogentur Jacobus Fuligattus, & Sylvester Petra Sancta, Bellarmini modestiam [quasi id æquo tulisset animo] commendare maluerunt. Quando volumina, inquit, (5) Controversiarum disposita erant, ut in lucem edi possent, non modo æquanimiter (sicut ipsemet deinde Benedicto Justiniano testatus est) sed cum hilaritate etiam passus est, a Patribus Societatis in Germania quoad paucas opiniones immutari, in spem fructus inter hereticos uberiores. Quibus etiam ultimis verbis satis innunt, immutationem hanc in questionibus, ad Gratiam per se efficacem spectantibus, induendam esse; quam Hæreticorum erroribus favere nimis, eorumque obesse conversioni, Sodalium suorum more tacite significant; & expuncta Thomistica, Moliniam sententiam insertam esse; quam eo maxime titulo tuendam suscepisse Societatis Præpositos, monet Fuligattus ipse lib. 3. cap. ultimo, quod idonea in primis censeretur ad huius ævi hæreses pervincendas.

Quis eam interpolationem attentavit, pronuciare hic certo nolim. Non erit tamen conjector imprudens, qui eam a Gregorio de Valentia tentatam suspicabitur; Ingolstadtii enim publicum ea ætate Theologie Professore agebat: utque Molinianæ Doctrinæ patrocinium publicis Theibus susceperat non ita pridem; ita eandem, qua poterat, arte, atque industria promovere satagebat.

Prodiit ergo tunc primum Tomi tertii Controversiarum (ubi de Gratia disputatur) Editio Ingolstadtensis, iis immutationibus vitata, anno 1592. cui non multo post consentit per omnia Lugdunensis anno 1593. Doctrinam de Gratia per se efficaci, ac prædeterminante iis eligiis commendatam ibi legitimus lib. 1. De Gratia, & Lib. Arb. c. 12. Hæc opinio videtur mihi esse aut omnino eadem cum errore Calvinii, & Lutherianorum, aut parum ab illo distare &c. lib. 4. c. 14. Sententia, que ponit Prædeterminationem istam in voluntate, non videtur posse distinguere a sententia Hæreticorum, negantium liberum arbitrium, quoad voces. Verum, quod mendacibus sapius eventit, ut sui satis memores non sint, id istis Interpolatoribus accidit, dum sententiam, uti hæreticam his in locis fugillatam, alibi uti Thomisticam, probabiliorem, Divinisque Scripturis, ac rationi consentaneam profitentur. Ita quippe ipsam in editionibus legitimus lib. 4. c. 11. Observandum, posse quatuor modis voluntatem a Deo inclinari ad aliquid appetendum, vel fugiendum. Primo efficienter, & physice, immediato illam movendo, & determinando ad unum. Nam si potest ipsa se determinare; cur non possit etiam Deus eam determinare? Secundo efficaciter quidem, sed mediante aliqua forma, quam imprimunt in voluntate; Nam infundendo Gratiam, & Virtutes, per eam inclinatur voluntatem ad bonas actiones. Et hoc modis notavit D. Thomas quest. 22. de verit. art. 8. Et eodem lib. 4. cap. 16. Altera ratio conciliandi libertatem cum cooperatione Divina, & fortasse etiam probabilior, est juxta sententiam D. Thomæ, qui docet, cooperationem Divinam ita com-

concurrere cum causis secundis, etiam liberis, ut non solum eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognoscit potest ex 1. parte, quest. 105. art. 5. & lib. 3. contra gentes, cap. 70. & in quest. 3. de potentia, art. 7. Que sententia videtur valde consentanea tum Scripture, que dicit, nos in Deo esse, vivere, & moveri, actum 17. tum etiam rationi, & ordini, quem habet causa prima cum secundis.

Nec vero liberalem illam Germanorum Editorum audaciam adeo æquanimiter tulit Bellarminus, uti Vita ipsius Scriptorum obtundunt. Controversias suas anno 2596. recognoscens, novisque typis Ingolstadtensibus mandans, lectores initio monuit, nolle se omnino, ut priores Editiones pro suis agnoscerentur. Nec multo post, intemperantem illam de Thomisticis opinionibus censuram (qua cum Lutheranis erroribus conferuntur) ex lib. 4. c. 14. expungi voluit, nova Venetiis editione curata anno 1599. Typographos etiam, præmissa admonitione, rogavit, ut juxta hujus unius exemplaris fidem sua deinceps Opera recuderent. Mirari super, eandem ipsam Censuram ex lib. 1. cap. 12. non fuisse simul expunctam. At licet id casu accidisse pateat (quippe amborum locorum eadem est ratio) fassus est aliunde vir ingeniosus. Unde, cum in Congregationibus anni 1601. duo illa Bellarmini loca ex primis editionibus protulissent Gregorius de Valentia, & Christophorus Cobos, in defensionem propositionis decimæ-quintæ Molinianæ; ita, nemine reclamante, responderunt Didacus Alvarez, & Thomas de Lemmos: (1) Ad ea, que adducuntur ex Illustrissimo Bellarmino, dicimus primo, illum in impressione Venetiis facta, re melius considerata, expunxisse prædictam Censuram ex lib. 4. citato. Ex inadvertentiâ vero non eam abstulit ex alio loco adducto, ex libro 1. De Gratia, & Libero Arbitrio cap. 12. ut ipse Illustrissimus alteri Illustrissimo Cardinali significavit; nimirum Afcualano, qui id palam constat est, ut notatur in margine.

Emendationem Editionis Venetæ aliæ deinceps expresserunt; nimirum altera Veneta 1602. Parisiensis 1608. Colonienfes duæ, annorum 1605. & 1620. in quibus omnibus mox indigitatas emendationes, necnon relatas a nobis lib. 1. cap. 1. Molinianæ sententiæ censuras, cernere licet.

Quæ cum ita sint, Bellarminum Societatis novitates ebibisse, ac vindicata primum Augustiniana dogmata exuisse, signum est. Tametsi, ut erat in Societatem bene affectus, sua illi officia in Molinianæ causæ tractatione non denegarit.

Tot illa vitiarum Bellarmini Controversiarum argumenta farda aure præterit Errorum Historiæ nostræ criticus adnotator, nobisque prodita conscientiæ, putidæque calumniæ dicam affricat, hoc præsertim momento nixus: quod is morti proximus, accito Notario, aliisque testibus numero decem, ipsi coram ex juris formulis declaraverit, se ratum habere, quidquid in Controversiis suis scripsisset de Divina Gratia questionibus, que inter Societatis Theologos, aliisque nonnullis Ecclesiæ Catholice Professores agitatur; sequi nusquam iis in Capitibus mutasse sententiam.

Fidem tuam criminari confidentissime. Ita ne morti proximus Bellarminus & Notarium accivit, & sensus suos ex juris formulis declaravit, & quid de Gratia Controversiis, Catholicos inter agitatis, sensisset hæcenus, denunciavit? Rem multo aliter gestam narrat Fuligattus, & Petra-San-

ctæ. (2) P. Andream Eudemon-Joannem amplexatus tenerime, ultimum hoc rogavit, ut statim atque librum aliquem imprimeret contra Hæreticos, affirmaret de se, quo pacto e vivis migrabat cum eadem fide, cum qua vixerat; & quæcumque pro Ecclesiæ defensione scripsisset, edideratque, non modo eadem iterum asserebat, sed credebatur ea perfecte, utpote concepta prius animo, quam calamo. Quibus paria habet Marcellus Cervinus, Bellarmini Nepos, in ejusdem vitæ narratione, anno 1622. elucubrata, & Gregorio XV. nuncupata. R. P. Andream Eudemon-Joannem rogavit, ut literis restaretur, se per misericordiam Dei in Ecclesia Catholica, & ea fide decedere, quam semper animo, & scriptis professus fuerat; ac nec de ea aliter morientem sentire, vel sensisse unquam, quam Operibus docuerat suis. Nihil illic de accito Notario, nihil de juris formulis observatis, nihil de Divina Gratia Controversiis, inter Catholicos agitatis, Verbulum in aurem amico dictum unice notant; atque illud quidem de Catholice fidei dogmatibus, contra Hæreticos defensas. Eudemon-Joannes itaque lubricæ fidei postulandus venit, qui morientis amici verbulo, in sinum effuso, ad Societatis commodum abusus, sublati post dies aliquot Bellarmino, Instrumentum, rei gesta fidem faciens, instrui voluit, signis testium, & Tabulariis consignatum; cui alteram illam de Controversiis, inter Catholicos agitatis, laciniam affuit, de quibus ne verbum quidem Bellarmino, extremum agnominis agenti, exciderat.

Instrumenti fidem elevat nota temporis, restitutumque conditio. Nam sublato e vivis Bellarminum expectantur, tametsi post preces, in amici sinum effusas, dies criticæ octo animam traxerit, scilicet ut tuto, ac citra periculum, que vellent, in demortui ore verba ponerent. Testes vero condignitatis, ac toti in Societatis ære perhibentur, nimirum Jesuitæ sex, defuncti Cardinalis Nepores duo, Cubicularii pari numero, qui Eudemon-Joannis fide subscripserunt.

Sed age, fabricato Instrumento demus integram fidem. Bellarminum, proxime moriturum, ratum habuisse concedamus, quidquid de Divina Gratia questionibus, inter Ecclesiæ Catholice Theologos ea ætate agitatis, scripsisset in Controversiis; eumque nusquam iis in Capitibus mutasse sententiam. Quid ergo? Ideo-ne colligere liceat, non fuisse priorem Controversiarum Editionem aliena manu vitiatam, tot aliunde momentis factam interpolationem demonstrantibus? Certe tantum abest, ut ex illa Bellarmini in sentiendo constantia puras ejus Controversias opinari liceat; ut inde potius factam interpolationem multo luculentius demonstrarem. Ex hoc quippe non modo colligimus, Bellarminum nusquam de Divina Gratia auxiliis mutasse sententiam, verum etiam ei semper instituisse, & adhæsisse, quæ Lessianis, & Molinianis novitatibus adverteretur. Cum enim Lessius ipse, cæterique Societatis Scriptorum ultro concedant, (3) Bellarminum huiusmodi sententiam Lovanii publice docuisse; necesse profecto est, ut eandem ad mortem usque tenuerit; idque omne aliena manu vitiatum reputetur, quod in ejus Controversiis, cæterisve lucubrationibus eidem contrarium reperiri forte contingeret: alias nec ejusdem semper opinionis tenax Vir Eminentissimus existisset; nec contestata solemniter morientis denuncia-tio, Eudemon-Joannis Instrumento inserta, veritate niteretur. Quæ sane ratio eo mihi visa est efficacior, quod ipsi etiam prælaudati adversæ doctrinæ Vindices non aliter Bellarminum suas demum

(1) Joan. de Lugo in Resp. Moral. dub. 7. n. 8. (2) Germ. Philol. nu. 15. (3) Henao de Scien. Med. scilicet. 175. (4) Sect. 75. (5) In Vita Bellarm. lib. 2. c. 5.

(1) In Scripto dato die 26. Martii. (2) De vita Bellarm. lib. 7. c. 3. (3) Lessius in Resp. ad Conf. Lov. Germ. Philol. in auth. cont. Præd. p. 15. Henao de Scien. Med. scilicet. 175.

num in partes venisse dicitent, quam decantata, post habitas Lovanii prælectiones, pallodia.

Viderint ergo emunctioris criterii Theologi, quid de Bellarmino librorum Recognitione, sub eius nomine Colonienfis anni 1620. editionibus affuta, sentiendum. In hac enim contra gratiam ex se efficacem, in physica prædeterminatione sitam, acriter declamatur; eaque confirmantur, ac recuduntur univèrsa, quæ ex Controversiarum suarum lib. 4. c. 14., post priorum editorum violationem, expungi iusserat; quæque in capite 12. libri 1. per oblivionem duntaxat inemendata remanuisse, declaraverat. Gracia congruæ vocationis, novis accerclis copiis, defenditur. Solemnis etiam Controversiarum locus, ubi efficiens, ac physica voluntatis motio, uti S. Thoma sententia data fuerat, speciosa interpretationis obtentu mutilatur.

Certe, si qua laudatis Scriptoribus fides, non eam ille ex animi sententia Recognitionem curavit, sed ex præjudicatis variorum societatis Theologorum opinionibus, qui in eam emendandi spiffi operis curam collatis studiis intendebant; e quorum nutu, tanquam e sacro manipulo, pendebat. (1.) In recognitione hæc Operum suorum usus est omnium frequentissime Mutio Vissellefo, amicorum optimo; sæpe etiam Benedicto Justiniano, & Andrea Eudemone-Joanne. Hi fideles monitores, & amici vel syllabam unam censabant liberrime: non quia asperent, Opera eius esse adeo compositi ornatus, ut neque verbum haberent, tum quia scirent, ejus ingenium ad amicorum persuasiones factum, monitoribus asperum esse, vel repugnans non solum: imo potius de re mutanda statim deliberare, didicissentque priorum oblivionem pati. Notandum illud solum usurpabat: Sentiebam ego aliter; sed iudicium vestrum optimum est. Quin imo sibi censura anceps foret, & ipsius meditationi relinquere, retineri, an induci aliqua res deberet; severius semper adversum se pronuntiabat. Non tam igitur Theologo purpurato, quam Vitellefo, Justiniano, & Eudemone-Joanni tribuenda venit, quæ nobis obtruditur, Recognitione.

Placuit hic de Bellarmino dicere paulo fastus, ne, dum illum in Molinianæ causæ tractatione sua Societati officia exhibentem proferemus, in eandem sententiam conspirasse quis putet. Fuerunt illa devoti animi iusta tributa, quibus se Parenti dilectissima, pro domesticis aris decernatis, vestigalem dedit. Quamquam tamen, patetis demum temporibus, ea ipsa summo sibi fœnore, magnoque Molinæ damno restitui voluit; dum Societatis Præpositum ad Molinianum de efficacia Gratiæ systema e domesticis scholis solemnè Decreto eliminandum adduxit. Sed & fuis ea de re dicendi locus occurret. (2.)

Interea Ludovicus Molina, rerum ab Alvaresio Romæ gestarum, & intentatæ sibi litis apprimè conscius, supplices Clementis VIII. litteras dedit, & supremis Fidei Quæstoribus Libellum destinavit (3) mense circiter Julio anni 1597., anxie rogans, ut si quid virga dignum in Concordiæ libro notari contingeret, id secum communicari providerent, quo posset doctrinæ suæ defensionem adornare. Duos etiam causæ Procuratores constituit, Bellarminum (si bene conjicio) & Atrabalem, quibus rei gerendæ provinciam demandavit. (4) Atque hinc magis proba, undè ea tabella fluxerit de Jesuitis in hac prima Molinianæ causæ tractatione non auditis;

nisi forte Procuratores suos stipites fuisse velint, qui demandatis sibi negotiis indormirent.

CAPUT II.

Primum Libri Molinæ examen edicit Pontifex, selectis Consultibus constitutis. Primum Conventuum Acta breviter recensentur.

Blatam sibi Prædicatorum Apologiam fummo studio perlegit Sanctissimus Pontifex, omniaque causæ merita serio perpexit, antequam rei cognitores delegaret, ne in arduo, difficili negotio subita, ac repentina consilia cepisse videretur. Exactis itaque mensibus quinque, primam Congregationem instituit, deditque experientissimos causæ cognitores sub initium Novembris anni 1597., qui Molinæ Librum seorsum per sese in primis expendere, nulla scriptorum utriusque partis spectata ratione; tum subinde pro instituta censura mutuo conferrent. Fuerunt illi.

D. F. PROPERTIUS RESTA DE CAPPELLIS, Episcopus Gerontinensis, & Carianensis.

D. F. JULIUS SANCTUTIUS A MONTE FILASTRANO, Episcopus Agranthensis.

D. LELIUS LANDUS SUESSANUS, Episcopus Neritonensis, seu Nardienfis.

F. HENRICUS SYLVIVS, Vicarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum.

F. FRANCISCUS BRUSUS, Procurator generalis Ordinis S. Francisci.

F. JOANNES BAPTISTA PLUMBINUS, Procurator generalis Ordinis S. Augustini.

F. GREGORIUS NUNNIUS CORNELIUS, ejusdem Ordinis Doctor Theologus.

D. LUDOVICUS DE CREIL, Doctor Sorbonicus.

In quorum numerum paulo post cooperti sunt, F. JACOBUS LE BOSSU, Ordinis S. Benedicti, Doctor Sorbonicus.

F. JOANNES ANTONIUS BOVIUS, Regens Collegii Romani Carmelitarum, qui Vicario suo Generali, alio ob publica Ordinis munia avocato, successit.

Præfuit selectæ Congregationi Eminentissimos Cardinales, LUDOVICUM MADRUTIVUM, Episcopum Tridentinum, & POMPEJUM ARI-GONIUM; quibus arbitris & auspiciis, Episcopi, ac Theologi statim diebus sententiam dicturi convenirent. Conquistum S. Pontificis delectum nemo non probaverit eruditus. Quis enim hæc controversias, cæteris olim in Concilio Tridentino definitis affines, aut accuratius inspicere, aut dirimere feliciter potuit Ludovico Madruto, quem eodem in Concilio sedentem, ejusque condendis Decretis allaborantem, universi Orbis demeratus erat: (5) Nec minus tales ecclæ Congregationis Præfides constitutos probare, gratoque animo excipere Jesuita debuerunt: primus enim Societatem universam summo semper affectu, & estimatione coluit; (6) egregiaque benevolentia argumenta, missis ad Concilium Tridentinum Theologis ejus, exhibuit. Alter, postis magno arte in Archiepiscopatu Beneventano Collegis, Societatem illuc advocavit, paternoque affectu fovit.

Post privatam itaque Libri Molinæ lectionem coperunt meritisimè Censores simul coram Præfidentibus Cardinalibus convenire die 2. Januarii 1598. ut in commune de Molinæ censura conferrent. Quid iis in Conventibus, seu Congrega-

tionibus gestum, deliberatum, definitumve sit, non alio ex fonte, quam ex ipsis Secretarii Actis primigeniis petam. Exstant illa in Angelica Augustinienfium Bibliotheca, Notarii ipsius manu exarata, sub hoc titulo: ACTA Congregationis, instituta a S. D. N. Clemente Papa VIII. ad examinandam doctrinam Ludovici Molinæ de Concordia Liberi Arbitrii cum Gratia donis, &c. collecta a F. Gregorio Nunnio Coronel, Lufitano, Ordinis S. Augustini Professore, & ejusdem Congregationis Secretario; & relata coram Illustrissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus, ac Reverendis Episcopis, nec-non Reverendis Patribus Theologis disputatis, ab eisque approbata. Ex quibus, utpote prolixioribus, pauca hæc compendio desoravi-mus.

Die 2. mensis Januarii 1598. conveniunt coram Illustrissimis Cardinalibus deputati Censores. Exposuit Præses præcipuus, Cardinalis Madruti, Clementis VIII. voluntatem, in eo positam, ut, semoto omnis contentionis studio, notarent quidquid in CONCORDIA Ludovici Molinæ censura dignum animadvertenter; eaque in futuris Congregationibus, quovis odii, vel amoris affectu posthabito, summa religione, ac fide referret. Huic mandato cum se obedituros spontiffident, præmissa consultatione, e re proposita fore censuerunt, ut primum inquireretur, quis Ludovico Molinæ propositus scopus extitisset, quæve illum ad scribendum ratio compulisset. Se etenim de ejus doctrina iudicium facile laturos existimant, cujus in scribendo consilium explorasset. His ita constitutis, soluta est prima Congregatio.

Die 9. mensis Januarii 1598. habita est secunda Congregatio, in qua actum de Molinæ scopo, & instituto. Conclufum est, istud unicum extitisse Molinæ consilium: (1) Novam quandam concordiam, a se primum excogitatam, tradere; quod nondum explicata penitus, & abunde red-dita ratio integra conciliandi libertatem Arbitrii cum Divina Gratia, Præscientia, & Prædeterminatione, sibi visa fuisset.

Conclufum etiam, illum hanc novam concordiam adeo certam habuisse, ut non dubitavit asserere, (2) Si ea data, explicataque fuisset semper, quod neque Pelagiana heresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudentes Arbitrii nostri libertatem negassent, obtendentes, cum Gratia, Præscientia, & Prædeterminatione, coherere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, & ad Pelagianos descissent: facile etiam reliquie ille Pelagianorum in Gallia fuissent extinctæ.

Die 16. mensis Januarii 1598. celebrata est tertia Congregatio. Actum de Molinianæ Concordiæ principiis investigandis. Convenit inter Consultores, eam quatuor hisce principiis inniti.

„ Primum principium, (3) ac fundamentum „ novæ hujus Concordiæ, est modus quidam in- „ fluendi divinitus, tam per concursum genera- „ lem ad actus liberi arbitrii naturales, quam „ per auxilia particularia ad actus supernaturales: „ quem explicat distulo sermone, dicens, talem „ Dei concursum non esse influxum Dei in cau- „ sas secundas, illas ad agendum moventis, sed „ cum causis in earum effectus.

„ Secundum principium est (4) legitima, seu

„ potius orthodoxa (sic enim ille inquit) ex- „ plicatio de modo doni perseverantia. Ad quod „ necessarium esse, docet, ex parte arbitrii adul- „ ti, ut is pro sua libertate ita sit cum divinis „ auxiliis cooperaturus, ut perseveret: quod in „ potestate ejus est collatum; aliter enim volun- „ tas conferendi talia auxilia non habuisset ratio- „ nem voluntatis conferendi donum perseveran- „ tiæ. Et ex his duobus principiis libertatem „ arbitrii cum gratia conciliat.

„ Tertium principium est (5) Præscientia „ media inter scientiam Dei liberam, & mere „ naturalem; qua, ut ille docet, ante actum li- „ berum suæ voluntatis cognoscit Deus, quid in „ unoquoque rerum ordine per arbitrium crea- „ tum esset futurum, ex hypothesi quod &c. At- „ que ex hoc principio libertatem creati arbitrii „ cum divina præscientia coherere dicit.

„ Quartum principium est, (6) Dupliciter „ posse nos loqui de Prædeterminatione: in com- „ muni, & in particulari. Et in communi qui- „ dem, præter divinam voluntatem, nullam affi- „ gnari posse Prædeterminationis causam ex parte „ prædestinati, aperte docet. In particulari vero „ dicit, dari rationem Prædeterminationis, bonum „ usum liberi arbitrii futurum. Unde colligit, „ non aliam esse difficultatem in concilianda li- „ bertate arbitrii nostri cum divina Prædetermi- „ natione, quam in eadem ipsa concilianda cum „ divina præscientia.

Die 23. Januarii 1598. habita est quarta Congregatio. Hic agi ceptum de variis Molinæ propositionibus, ad primum Concordiæ princi- pium revocatis. Ac in primis agitata quæstio est: Utrum concursus Dei generalis sit influens in causas secundas, an potius cum causis in eorum effectus? Et quænam sit Ludovici Molinæ de hac re sententia?

Ex variis Molinæ locis ostensum est, Deum (juxta mentem ejus) cum causis in effectus influere; non in causas. Definitum vero, Ludovici Molinæ opinionem non esse amplectendam.

Die 30. mensis Januarii 1598. quinta Congregatio habita est. Actum de Molinæ sententia circa vires Liberi Arbitrii, cum solo concursu Dei generali.

In primis ea Molinæ loca proposita sunt, quibus contendit, necessariam non esse, immo vero humanæ libertati nocere Præmotionem, & applicationem per concursum Dei generalem, ut liberum arbitrium operetur bene moraliter, aut etiam se ad Gratiam suscipiendam disponat. Ac de iis ita pronunciatum est: Hæc doctrina longe aber-rat a veritate.

Tam alia ad trutinam vocata sunt de actibus ad Justificationem adulti necessariis, puta credendi, sperandi, diligendi, ac poenitendi, quibus asserit, hominem per liberum arbitrium cum solo concursu generali Dei, actus illos omnes elicere posse quoad eorum substantiam, licet non quales ad Justificationem sunt necessariis. De iis demum ita definitum: Molinæ sententia Catholice veritatis parum est consentanea; & cum Pelagii errore, qui Liberum Arbitrium ponebat esse causam assensus fidei, maxime convenit.

Demum ea in medium adducta fuere, quibus propugnat habitum fidei supernaturalem non esse necessarium ad superandam intellectus duritiam, aut ad faciendum, ut assensus ex parte credentis sit

(1) Ita Conc. g. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. ult. §. Licet. (2) Ubi supra §. Credens & §. Pro no-stra. (3) In Conc. g. 14. art. 13. disp. 26. in Edit. Antverpiens. In Veneta habetur ad 1. part. g. 14. art. 13. disp. 5. 6. 7. (4) In Conc. g. 14. art. 13. disp. 14. & 17. (5) In Conc. Edit. Antv. & Ulyssip. g. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 1. In Veneta non habetur, nisi in Comm. ad 1. part. g. 23. art. 4. (6) In Conc. Edit. Ulyssip. & Antv. g. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 1. In Veneta non habetur, nisi in Comm. in 1. part. quest. 23. art. 4. & 5.

(1) De vita Bellar. lib. 2. c. 5. (2) Lib. 4. cap. 31. (3) Vide Molinæ libellum alterum, c. 4. (4) Auctor Quæst. Mom. pag. 24. (5) Pallaru. in hist. Conc. Trid. lib. 15. c. 6. n. 4. lib. 19. c. 13. n. 4. lib. 20. c. 3. n. 1. (6) Orlandi lib. 6. hist. Soc. n. 19.

sit certus; sed solum ad eos actus eliciendos, ut fini supernaturali sunt accommodati. De illis subinde ita conclusum: *Univerſam hanc doctrinam rejiciendam esse, putamus.*

Die 6. mensis Februarii anni 1598. celebrata est sexta Congregatio ad varia Molinæ loca expendenda de actibus diligendi, ac poenitendi.

1. Iis deductis, quibus hominem naturæ viribus Deum quoad substantiam actus super omnia diligere posse, contendit; ita sancitum est: *Censetur, prefatas propositiones, quibus Molina sustinet, hominem viribus naturæ posse diligere Deum super omnia quoad substantiam actus, esse Pelagianas, vel de Pelagianorum reliquiis. Et idcirco revinentes sanctissimas Conciliorum definitiones, & Patrum sententias, ac doctrinam religioſe venerantes, illas omnino improbandas, & rejiciendas esse, existimamus.*

2. Expenſis Molinæ locis de viribus Liberi Arbitrii ad eliciendum dolorem de peccatis cum proposito non peccandi, discussoque ejusdem principio de faciente, quod in se est, sic definitum fuit: *Molinæ hæc de re sententia non parum a communi, & Catholica doctrina discedit.*

3. Discussis aliis de victoria tentationum ex solis naturæ viribus, ita sancitum est: *Molinæ sententia, qua sustinet, posse hominem per vires sue naturæ, cum solo auxilio generali, resistere gravibus tentationibus, &c., non solum est contra communem Theologorum scholam, verum etiam adversatur Patrum venerabilissimorum doctrinam, Conciliorum, ac Summorum Pontificum decretis, & apertis Sacre Scripture testimoniis.*

Die 13. mensis Februarii 1598. celebrata est Congregatio septima. In iudicium vocata est Molinæ doctrina de viribus Liberi Arbitrii, cum solo concursu generali, ad actus supernaturales fidei, spei, & charitatis.

Ponderatis locis, eo spectantibus, in hanc sententiam itum est: *Molinæ, cum asserit, posse hominem cum solo concursu generali, per habitus infusos fidei, spei, & charitatis producere actus supernaturales, quos valuerit, adversatur Theologorum scholæ, Patrum doctrinæ, & Conciliorum decretis, atque Summorum Pontificum definitionibus.*

Die 20. mensis Februarii 1598. habita est Congregatio octava. Hic de altero Molinæ principio tractari cœpit, ac potissimum de dono perseverantiz.

1. Ad limam vocatis Molinæ contextibus, ubi docet, communem esse Doctorum sententiam, hominem in statu innocentiz, per dona supernaturalia fidei, spei, & charitatis, potuisse cum communi auxilio Dei operari salutem suam, vitamque æternam promereri, absque aliis auxiliis specialibus; hæc censura novus dogmatistes inuritur: *In hoc primo capite præbet se Molina injurium in Doctores.*

2. Famofam Molinæ sententiam discusserunt, qua dicit: *Cum auxilio, cum quo unus usque ad finem perseveret, potest, si velit, non perseverare; cum auxilio quod Deus confert, præstare est conferre ei, qui non perseverat, potest perseverare; perque cum stat, quod non perseveret: eamque hoc stigmate inusserunt: Hæc discrepant a communi, & Catholica doctrina.*

3. Examinatis Molinæ locis de duobus æqualiter vocatis ad fidem, quorum unus convertitur, altero non convertit; iisque relatis, quibus de æqualitate auxilii adjurantis loqui convincitur, pronunciarunt, adversam doctrinam, uti Catholicam veritatem, a Patribus traditam, & a Concilio Ancylicano definitam esse.

Die 27. mensis Februarii 1598. habita est

Congregatio nona ad expendendam Molinæ doctrinam de Gratia efficaci.

Expenſis locis illis, quibus Gratiam ex se efficacem in physica Prædeterminatione sitam, inficiatur, uti & re, & nomine periculofam, fideique maxime noxiam; ita demum definitum, statutumque fuit.

„Cum Deus dicatur convertere cor nostrum ad se, & vertere voluntatem nostram, trahere arbitrium nostrum ad infidelitatem ad fidem, a malo in bonum; cumque dicatur efficere, nos orare, & implere mandata sua, ut ex Sacris Scripturis ostendimus; cum etiam similiter dicatur Luca 14., compellere rebelles voluntates, & trahere peccatores ad se, (quod est plusquam ducere, & determinare) & Ecclesia etiam dicat, preces fundens ad Deum pro nobis: *Oblationibus nostris, Domine, place-re susceptis, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; dicatur denique, sua Divina Gratia aequali, & efficaci auxilio gratuito promovere nos: sine dubio prædeterminat arbitrium nostrum ad eligendum medium, salutis nostre consentaneum, ad credendum, ad poenitendum, ad recte agendum; non quidem determinando illud, neque vertendo, aut trahendo ipsum tractione aliqua violenta, necessaria, & coactiva, aut vertendo ipsum ad unum determinatione necessaria, ad unum facta, sicut fit a natura, aut a brutis, ex iudicio naturæ infixo, & indito, sine ulla radice contingentiz, aut libertatis, sicut bruta determinat; sed dicitur prædeterminare, & promovere determinatione, & præmotione libera, non fecus ac ipse homo se efficienter, & libere determinat ad unum, quod vult, vel amat, seu ad unam operationem circa medium, quod eligit. Unde cum homo se determinet ad hoc, illa ipsius determinatio a Deo est efficienter, tanquam a primo determinante libero, eam volente in tempore facere, prædeliberando de illa, salva semper ejus libertate, juxta modum a nobis expositum.*

„Cum igitur hæc omnia dicantur a Deo fieri apud sanctos Patres, in Sacris Litteris, & Sacro-Sanctis Conciliis, immo etiam apud sanctam Catholicam Ecclesiam, quæ, ut diximus, postulat ab Sponso suo, ut nostras etiam rebelles voluntates ad se compellat per efficacem ipsius Gratiam, cujus vim, & virtutem optime exprimit verbum *compellere*: sequitur profecto, quod nec per hæc læditur libertas humani arbitrii, sed potius roboratur, & perficitur; neque etiam per verbum *determinare efficienter*. Quod si Ecclesia non abhorruit verbum *compellere*, si nec Patres, nec Concilia, nec Sacre Litteræ abhorruerunt istos terminos, *vertere arbitrium nostrum, trahere, creare in operibus bonis*, (quod majus aliquid indicare videtur) sequitur, quod nec Theologis timendum sit uti verbis *promovendi, & prædeterminandi reali, & physica aliqua actione circa voluntatem nostram*, cum de actuali Gratia Divina habetur sermo. Sed quemadmodum ab omnibus creditur, voluntatem nostram, quando eligit medium conversionis suæ, se determinare, Deo prius ipsam præmovere per Gratiam efficacem, & convertendo, aut trahendo eam ad se; ita etiam omnino concedendum est, proprie, & catholice dici, quod Deus illam convertit, & prædeterminat, & trahit, ut ipsa sub tali præmotione se determinet; atque adeo voluntatem humanam converti, & trahi divinitus, conversione, determinatione, & tractione, libera quidem, sed

„ve-

„vera, reali, & physica, qua certe cordis nostri duritia primitus auferitur; innoteſcit, quod latebat; & suave fit, quod non delectabat; quod Gratia munus est, & effectus.

Die 6. mensis Martii 1598. habita est Congregatio decima. Actum de tertio Molinæ Concordiæ principio, nimirum de Scientia-Media.

Vocatis ad examen permultis Molinæ locis, quibus Scientiam-Mediam defendit, ac probat; iis etiam recentis, quibus ejusdem necessitatem vindicare satagit; quod res non sint in æternitate physice præſentes; nec sit scientia Dei futurorum causa: sic demum in eandem animadvertere Censores æquissimi.

„His omnibus æque perpensis, cum ex Scientia-Media, a Molina excogitata, sequatur, Dei præſcientiam futurorum contingentium, maxime tamen eorum, quæ a libera causa proficiunt, ab ipsis eventibus desumi; & prætere Dei scientiam, etiam adjuncta voluntate, asserat consequenter idem Molina non esse causam rerum, neque etiam esse certam, & infallibilem præſcientiam, quam Deus habet de futuris contingentibus; & sine ista Media præſcientia, tam præſci Patres, quam Theologi Doctores libertatem arbitrii cum Gratia Divina, præſcientia, & prædeterminatione conciliandi rationem ex duplici illa scientia duntaxat demulserint; & absurda illa que consequuntur istam Scientiam-Mediam, sint graviora, quam ut catholice possint tolerari: sanum fore, vel etiam necessarium arbitramur, stricte præcipi, ne deinceps hæc de re aliter in scholis, aut extra scholas loqui liceat, vel docere, aut sentire, quam juxta sanam, & antiquam Theologorum doctrinam, Patrum sententias, & usitatissimum Sacre Scripture modum &c.

Die 13. mensis Martii 1598. undecima Congregatio habita est. Actum de quarto Molinæ Concordiæ principio, Divina scilicet Prædeterminatione.

Adductis Molinæ locis, ubi Prædeterminationem ad gloriam post prævia merita propagant; illis etiam expensis, quibus non omnes effectus (v. g. interfectiones, suffocationes ex casu, poenas justorum) a Deo prædeterminatos, ac prævisos fuisse, defendit, ita pronuntiatum est, & in integram Molinæ CONCORDIAM lata sententia.

„Cum S. Augustini de gratuita Prædeterminatione doctrina, a Patribus ad Patres quasi per manus tradita, ab Ecclesia non semel tantum, sed secundo, & tertio fuerit approbata; & hæc Molina contumeliose rejiciat, nec, salva fide, sustineri posse, asserit; atque omnia illa quatuor principia, ex quibus universam rationem conciliandi arbitrii libertatem cum Gratia dominis, Præſcientia, & Prædeterminatione deduxit, sint expresse contra S. Thomam, S. Augustinum, & ceteros Patres; multa etiam continent, quæ haud obscure adversari videntur Divinis Scripturis, & sacris Conciliis; aliqua etiam expresse tradita a Cassiano, & Fausto, contra quæ Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Catholici Doctores fortiter sese opposentes, gloriose dimicant: salvo semper Sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio, cui universa hæc a nobis scripta, & quoquo modo asserta, religioſe submittimus; Censemus, e re Catholica esse, ut liber, qui inficitur: CONCORDIA LIBERI ARBITRII CUM GRATIA DOMINI &c. compositus a Ludovico Molina, & Jerry Tom. f.

(1) In Censura contra Lessum ad Affect. 31.

„ejusdem doctrina omnino prohibeatur. Atque idem etiam censemus de Commentariis ejus in primam partem D. Thomæ, quousque saltem a viris, ad hoc munus deputatis, expurgentur a novis opinionibus, quæ veterum Theologorum, potissimum vero S. Thomæ, & Patrum doctrina adversari videntur.

Solutis Congressibus post lata Censuram iudicia de variis Molinæ locis, ad certa ipsius principia revocatis, quibus tota superſtruitur novæ CONCORDIÆ doctrina; mandante Censuram Collegio, Gregorius Coronellus, sacri Censuræ Secretarius, distinctum omnium illorum Molinæ CONCORDIÆ locorum indicem adornavit, quem Clementi VIII. Pontifici Maximo dedit; ut, quasi objecto speculo, Molinæ doctrinæ seriem integram Sanctissimus Sux oculis exhiberet. Existat elucidatio hæc eodem in Codice, quo superiorum Congregationum Acta. Integram illam in Appendice dabimus.

CAPUT III.

Resumuntur primi examinis Congregationis: lita iudicia recognoscuntur: scripta, ex Hispania Romana transmissa, examinantur.

Quo tempore superiores Congregationes habebantur, eruditorum consilium de controversis questionibus explorabat Sanctissimus Pontifex. Nonnullorum etiam Consultorum iucubationes, hoc de argumento adornatas, sedulo perlegebat, ne quid inconsulto, temereque sanciretur. Religiosum illum inquirenda veritatis zelum auxit Calvinistarum, & Lutheranorum audacia; qui, auditis Catholicorum dissidiis, in spem novam erigebantur; dataque Molinæ dextera, consilio licet absimili, excisam intrinsecam Gratia efficiencia libertatem audacius propugnabant. Nec aliunde eruditissimum Pontificem latebat, illud olim de Societatis doctrina fuisse Lovaniensis Academiae iudicium: (1) *A Pelagio non satis procul abscedit; Lutheri vero, & Calvini, & reliquorum nostræ temporis hereticorum sententiam, dum ab ea videri vult quam longissimè recedere, potensque debellare, magis impudens stabilit, atque confirmat.*

Rei igitur gravitatem expertus, causam maturiori iudicio dirimendam iudicavit. Quare superiorum Congregationum iudicia secunds curis recognoscit, sententiamque ab omnibus scripto ferri, ac Congregationis Notario consignari iussit; id enim perpauci hæcenus egerant. Scripta etiam, a generali Hispaniarum Inquisitore Romam transmissa, hoc est Prædicatorum, ac Jesuitarum instrumenta, nec non Episcoporum, ac Theologorum Hispanorum Censuras examinari voluit: quo maturius expendere, an Molinæ principia, propositionesque ad illa redactæ, ab erroris nota vindicari possent.

His ita provisus, Ferrariam versus pro Ducatus recuperatione iter arripuit Clemens VIII. die 14. Aprilis 1598. Potentissimum etiam causæ suæ patronum amittit Prædicatorum Ordo, Cardinalem Michaellem Bonellum, præcipiti morte sublato, dum sese ad faciendum Summo Pontifici comitatum, piis ad septem Urbis Ecclesiis supplicationibus, accingeret.

Ab Aula itaque strepitu semoti, iussisque Pontificis obsecuti, suas deputati Censores Congregationes resumperunt, uno excepto Carmelitarum Vicario Generali, cujus locum Antonius Bovius jam pridem occupaverat. Convenerunt

M coram

coram Eminentissimis Præfidentibus ad diem ultimum Novembris 22. cujuslibet hebdomadae sexta feria. In illis Conventibus servatus est ordo. Primum superiorum Congregationum judicia recognoverunt, ac confirmarunt: tum datis sigillatim ab unoquoque privatis scriptis, seu suffragiis de Molinae doctrina, de Prædicatorum, ac Jesuitarum Apologiis, ac Defensionibus, de Censuris Episcoporum, ac Theologorum Hispaniæ, sententiam dixerunt.

Quid de novis illis Instrumentis pronuntiandum sit, compendio retulit Secretarius: Ut, inquit, (1) maturius expendere, an prædicta principia, (Molina) vel propositiones ad illa redacta, vindicari possent a nota erroris; voluit Sanctissimus Pontifex, ut Consultores examinent Apologiam Patrum Prædicatorum in Hispania contra decem capitales propositiones Molinae, necnon earum defensiones productas a Patribus Societatis. Censuit autem Congregatio, doctrinam Patrum Prædicatorum esse sanam, & Catholicam; propositiones vero Molinae non aequè vindicari a nota erroris per rationes productas a defensoribus suis, ad quas plene responsum fuit. Expensis deinde scriptis Episcoporum, & Universitatum, que Romanæ missi supremus Hispaniæ Inquisitor ad Sedem Apostolicam, apparuit ex pluribus illorum, judicium Congregationis non rigorosum, sed mitissimum fuisse; atque adeo persistendum in Censura, prout in Actis.

Ego vero, pro uberiori veritatis confirmatione, suffragiorum, a Censuris datorum, indicem, ac summam adjiciam; iis enim tota continetur, ac fiat primi hujus examinis recognitio. Extant illa in Angelica Augustinensium Bibliotheca, propria Auctorum manu scripta. Quibus etiam nonnulla interferuntur alia, ab iisdem Auctoribus prius edita, & superioribus Congregationibus oblata.

Episcopus Agathensis dedit in variis Congregationibus novem suffragia, seu scripta. Septem prioribus Molinae propositiones, supra observatas, damnat ut temerarias, erroneas, ac Pelagianas respectivè. Duobus postremis judicium fert de Censuris Episcoporum, ac Theologorum Hispaniæ. Salmanticensem, aliasque datas ab Episcopo Mindonensi, Doctore Sierra, & Petro de Castro, per omnia capita probat. Censuram Michaelis Salon confirmat, laudatque magnopere, quod 47. Molinae propositiones, uti erroneas, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, notaverit; in hoc tamen improbat, quod cum Molinae mitius agendum, sola propositionum deletionem, putaret; questionemque de gratia per se efficaci solius esse nominis, affirmavit. Censuram Episcopi Carthaginensis in eo probat, quod Banneium, & Zumelium ab erroribus Calvinii toto cælo distare, ostenderit; in hoc improbat, quod eorundem Banneii, & Zumelii Censuras, adversus Molinam datas, duriores appellaret. Censuram Episcopi Segoviensis in iis probat, quibus doctrinam Molinae male tutam in fide, & gravissimis periculis circumseptam dixerat; in aliis, quibus eandem emollire, Banneiumque, ac Zumelium damnare studuerat, improbat. Censuras vero Complutensem, Seguntinam, & Episcopi Placentini omnino rejicit.

Episcopus Neritonensis dedit scripta, seu suffragia septem. Sex prioribus Molinae doctrinam, ad varias propositiones revocantem, Pelagianismi notat. Septimo, judicat de Censuris, ex Hispania missis: Complutensem damnat; Salmanticam, & Mindonensem probat; Carthaginensem etiam, ob offensam præsertim discrepantiam Ban-

nesium, & Zumelium inter, & Calvinum. De Segoviensi, & Placentina perinde sentit, ac Episcopus Agathensis, Aliarum Censurarum summam refert, nihilque pronunciat.

Episcopus Carientensis dedit scripta duodecim. Decem prioribus nervosissime agit contra dogmata de Scientia-Media, de Gratia sufficienti, & efficaci, de Congruitate, de Prædestinatione; Gratiamque ex se efficacem multis probat, ut Catholicum dogma certa fide tenendum. Duobus postremis scriptis pronuntiat pro Censuris Michaelis Salon, & Petri de Castro, quas maxime commendat; nisi quod questionem de Gratia efficaci solius nominis esse, non existimat.

R. P. Franciscus Brusius dedit quinque scripta. In primo sententiam Molinae de Deo, & causa secunda, partialiter concurrentibus, in bonam seorsum probabiliter reduci posse, putat: in modo tamen loquendi Molinam castigandum existimat. In secundo sententiam Molinae de Gratia, ex consensu Liberi Arbitrii efficaci, ut erroneam rejicit. In tertio ejusdem Molinae propositiones de viribus Liberi Arbitrii in justificatione damnat, ac reprobat, ut erroneas. In quarto ejusdem Molinae propositiones de Scientia-Media, falsas, temerarias, & erroneas existimat. In quinto propositiones de Prædestinatione, uti falsas, ac temerarias explodit; & aliquas in sensu rigorofo erroneas pronunciat. De Censuris nihil habet.

R. P. Joannes Baptista Plumbinus dedit sex suffragia. In primo scripto doctrinam Molinae, brevi analysi expositam, de viribus Liberi Arbitrii, & de Gratia efficaci, ab humano consensu pendente, declarat temerariam, blasphemam, erroneam, & hæresi proximam. In secundo sententiam Molinae de concursu Dei cum causis secundis damnat velut erroneam, hæresim sapientem, piarum aurium offensivam, temerariam, & scandalosam. In tertio scripto persequitur idem argumentum; ac tres alias ejusdem propositiones erroris accusat. 1. Scilicet, „quod concursus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quæ si illa prius a Deo mota agat, & producat suum effectum; sed est influxus immediate cum causa secunda in illius actionem naturalem, & effectum. 2. Quod Deus per concursum generale non est causa totalis effectus. 3. Quod concursus Dei in actibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis, non est in libero arbitrio, quasi illo prius motum; sed est solum influxus in actus ipsos, una cum libero arbitrio. 4. In quarto scripto damnat Molinae doctrinam de concursu Dei indifferenti, & determinabili per actum voluntatis seu ad naturalia, seu ad supernaturalia. In quinto, & sexto defendit Censuras, in præcedentibus Congregationibus sancitas adversus novas Molinae Defensorum objectiones. De Censuris nihil habet.

R. P. Gregorius Nunnius Coronellus dedit scripta septemdecim. In primo sententiam Molinae de concursu Dei cum causis, & non in causas, damnat ut falsam, & temerariam. In secundo expendit profundius quatuor CONCORDIÆ Molinianæ principia; ejusque propositiones duodecim, ut Pelagianissimum sapientes, fugillat.

In tertio idem persequitur; & alias ejusdem propositiones septem, ut expresse Pelagianas, notat.

In quarto idem persequitur; & duas propositiones alias de efficacia Gratia notat ut falsas, temerarias, erroneas, & ad Pelagianissimum accedentes.

In

In quinto idem persequitur; sexque propositiones de Scientia-Media, tanquam fidei repugnantes explodit.

In sexto expendit tredecim propositiones Molinae de Prædestinatione, quas uti temerarias, & erroneas damnat.

In septimo judicium fert de Apologia FF. Prædicatorum Hispaniæ, quam per omnia ut Catholicam probat, una cum alio ipsorum scripto de Gratia efficaci.

In octavo defendit præcedentes Censuras contra Defensorum Molinae objectiones.

In nono Censuram Academiæ Salmanticensis per omnia probat.

In decimo Censuram Complutensem maxime improbat, quod pleraque propositiones Molinae, uti probabiles, admittat, ac sub opinione relinquendas, judicet. Eam tamen approbat, quod fateatur, efficaciam Divini Auxilii a consensu nostro ita dependere non posse, ut ex solo majori conatu Liberi Arbitrii actus magis meritorius esse possit.

In undecimo Censuram duorum Professorum Facultatis Seguntinæ magnopere improbat; illosque Molina turpius errasse, ostendit.

In duodecimo Censuram Episcopi Placentini censura dignam pronuntiat.

In decimo-tercio Censuram Episcopi Segoviensis probat ex parte, quod nempe sex Molinae propositiones Semipelagianismi notet: in cæteris, quibus Molinam ab errore vindicare nititur, vehementer exagitat.

In decimo-quarto Censuram Episcopi Mindonensis confirmat.

In decimo-quinto Censuram Michaelis Salon commendat, quod propositiones Molinae quadraginta septem, tanquam temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas, erroneas, proscripterit.

In decimo-sexto Censuram Doctoris Sierra confirmat.

In decimo-septimo Censuram Episcopi Carthaginensis per omnia probat.

R. P. Antonius Bovius (quem mihi quondam olim Jesuitam narravit Viri Carmelite primæ notæ) dedit scripta septem, in quibus omnibus Molinae propositiones ab errore vindicat, easque, saltem uti probabiles, defendere nititur. De scriptis, ex Hispania a Generali Inquisitore transmissis, nihil omnino habet.

Cæterum illud observatione dignissimum occurrit, Cardinale Madrutium hujusce Censuris suffragium pro doctrina Molinae, quam ex Patribus probare tentaverat, scripto nervosissime consutat; quod etiamnum extat inter ejus adversaria pag. 50. & sequentibus, propria Eminentissimi Viri manu scriptum.

R. P. Jacobus le Bossu dedit suffragia decem. In his omnibus Prædicatorum Apologiam adversus Molinam ex Congregationis mandato examinandam sibi sumit. Unde & Molinae propositiones in ea fugillatas, ac notatas expendit. In primo eas ed examen vocat quæ sunt de Gratia efficaci. In secundo eas examinat, quas Molina, veluti CONCORDIÆ suæ fundamenta, commentus est. In tertio eas expendit, quæ de actibus, ad justificationem pertinentibus agunt. In quarto questionem tractat: an, æqualibus existentibus Auxiliis, unus aliquando convertatur; non alter? In quinto agit de propositionibus Molinae circa contritionem, & attritionem. In sexto agit de concursu Dei cum causis secundis. In septimo quaerit de sententia Molinae, quare, & quomodo

Serry Tom. I.

(1) Num. 3.

do Deus non fit causa peccati. In octavo adversus Scientiam-Mediam disputat. In nono tractat de causa reprobationis, & liberi arbitrii. His in scriptis Molinam temeritatis, imprudentiæ, erroris, & hæresis passim fugillat, ac convincit.

D. Ludovicus de Creil dedit scripta undecim. In primo scripto agit de sententia Molinae stantientis, concursus Dei non esse in causam, sed in ejus actionem, & effectum. Prima fronte Auctoris hujus conclusionem nullam Censura dignam existimat, sed solum procedendum, ac probandi modum. Ad finem tamen ejusdem scripti ait, se (re postea melius intellecta) existimare, non abs re Molinae doctrinam a quibusdam Pelagianismi suspectam haberi; quod se posterioribus scriptis melius scrutaturum, pollicetur.

In secundo expendit sententiam Molinae de Gratia per consensum efficaci, quam damnat ut temerariam, schismaticam, ac Pelagianis faventem.

In tertio idem pertractat argumentum, agendo contra Molinam de auxilio sufficienti, & efficaci; quem a Catholica veritate defecisse, probat: cui propterea ex adverso opponit octo Catholicas propositiones, a FF. Prædicatoribus in Apologia propugnatas.

In quarto differit de Scientia-Media, ut a Molina defenditur. Scriptum hoc ita concludit: *Doctrinam hanc de Scientia-Media, non solum ut novam, & commentitiam, confusam, obscuram, pugnatam continentem, inutilem, & SS. Patribus injuriosam, jactantiam, & arrogantiam plenam, ad defensionem inter Catholicos excitandas, potius quam commendandas aditum patefacientem, a Catholicorum Doctorum stylo alienam, male sapientem, & periculosam, omnino explodendam, & extinguendam, sentio.* Subjungit subinde varias, in hoc attribuendo figmento, Molinae antilogias; quarum illa potissima est, quod primo Scientiam-Mediam, ut novam, jactet, cujus ignorantie Pelagiana hæresis adoleverit, & Calviniana suborta sit: postmodum vero contendat, Patres unanimi consensu eandem re ipsa comprobasse.

In quinto tractat de Prædestinatione gratuita contra Molinam: concludit, sententiam ejus erroneam esse: oppositam vero non opinionem esse, sed fidem Ecclesiæ.

In sexto nervose consutat allata a Jesuitis argumenta, ut Molinae doctrinam adversus FF. Prædicatorum Censuras tuerentur.

In septimo Censuram Episcopi Carthaginensis, quo ad doctrinam substantiam, probat: improbat, quod Molinae propositiones mitius notet; quodque existimet doctrinam Banneii, etsi veram, ex œconomia tamen, ob circumstantias temporum, ad evitandam simplicium offensionem, prædicari publice non debere. Certe fuerat ille Semipelagianorum de S. Augustini doctrina preconceptus timor.

Prosper in sua ad sanctissimum Gratia Vindicem Epistola testatur reliquit: (1) *Et postremo pernicacia nota descendit, ut fidem nostram adificationi audientium contrariam esse, desinat; ac sic, etiam si vera sit, non promendam: quia & perniciose non recipienda tradantur, & nullo periculo, que intelligi nequeunt, continentur.*

In octavo Censuram Episcopi Segoviensis in hoc probat, quod Molinam in prædicatione Liberi Arbitrii excessisse scripserit; in hoc improbat, quod Banneium ex opposito in prædicatione Gratia metas prætergressum affirmarit. Censuram Salmanticensem magnopere commendat, eamque suf-

M 2

fice-

(1) In Actis Congr. 14, Septemb. 1609.

ficere, ait, ad Molinam, & Episcopum Segoviensem revincendos;

In nono Complutensem Censuram carpit, ut humanæ prudentiæ nixam, in utraque sententia, veluti probabili, admittenda. Censuram Professorum Academiæ Seguntinæ, & Episcopi Placentini, rejicit; Censuris Doctoris Sierra, & Episcopi Mindonensis subscribit. Ægre tamen excipit, quod Episcopus ille, de Zumeli, & Bannesi concordia differens, ac veluti Catholicam probans, illam tamen recte *inventam* appellet. Displicet *inventi* nomen, licet recto sensu usurpatum, dicendumque vult *explicatam*.

In decimo rursus de Censura Episcopi Segovienfis agit. Impugnat, quod dixerit, mitius agendum cum Molina.

In undecimo Censuris Petri de Castro, & Michaelis Salon subscribit. Conqueritur tamen, priorem nonnullis in locis Molinam non satis urgere; posteriore vero erroneas Molinæ propositiones e libro solum expungendas, judicasse.

R. P. Henricus Sylvius, tamen huic primi examinis recognitioni (in qua tandem communi calculo Molinæ Censura definita est) non interfuerit, nihilque propterea ad causæ eliquationem valeant ipsius suffragia, in antecessum data, ex quo partes ejus in alterum translate fuerunt: ne quid tamen integritati, ac sinceritati desit, addam ipsius quoque suffragia, Notario primum data, quo tempore primæ Congregationes haberentur.

Fuerunt illa numero quinque. In iis Molinæ patrocinator; cujus opinionem in iudicium vocatas, ut probabiles, judicat, aut certe ab erroris nota immunes. Molinam tamen, veluti S. Augustino, & Thomæ contrarium, temerarium, & arrogantem accusat. Sic enim de illo pronuntiat ad finem Scripti secundi: „In hoc, quod in prioribus parte suæ Assertionis Molina dicit, *Cervitudinem Prædestinationis non posse desumi ex efficacia ipsorum auxiliorum*, ipsemet in capite ultimo suæ CONCORDIÆ fatetur, se hoc asserere contra doctrinam S. Augustini, & Thomæ, & aliorum communem. Quare non video, quomodo possit excusari a nota temeritatis. Poterat enim doctrinam suam, qualicumque sit, de ratione conciliandi Liberum Arbitrium cum Gratiæ donis, ex parte præscientiæ in medium proferre, & Ecclesiæ iudicio subijcere. Nulla tamen ratione debuit eam rejicere, tanquam insufficientem, quam S. Augustinus, D. Thomas, & schola Theologorum hæcenus sufficientem existimavit.

Et ad fidem quarti Scripti de Molina pariter ita scribit: „Modus loquendi quo utitur quæst. 14. art. 8. dum dicit, *Alios periculose admodum hallucinatos circa præscientiam Divinam; quod non attenderint, quod ipse dixit ibidem*. Et disp. 17. *Periculose hallucinari, qui triplicem scientiam non constituunt* (quod & alibi passim facit in refellendis aliorum sententiis) videtur mihi factis arrogans, & temerarius; præsertim si aspicimus ea, quæ dixit in CONCORDIA, membro ultimo. Nam præterquam quod nimis sibi placet, non utitur ea modestia, quæ decet Theologum & Catholicum, & religiosum; nec re-dolet eximiam illam animi demissionem, quam mirifice sunt clari S. Thomas, & omnes alii antiqui, & gravissimi Theologi in aliorum sententiis referendis, & refellendis. Quamvis hoc vitium videtur potius esse temporis, quam hominis. Hæc ultima verba non satis capio. Quasi vero sint quedam statuta tempora, quibus

temeritas, & arrogantia sint Christiano Theologo licita!

C A P U T I V.

Post varios Jesuitarum motus, Censura totius Congregationis nomine a Secretario editur: Cujus promulgationem, novo petito nutuæ collationis examine, iidem ipsi dixerunt.

Hæc dum interim primi examinis recognitione fieret, Jesuitæ in excubiis positi, Censuram motus observabant; ut quam in partem inclinabant, præsentirent. (1) Ubi vero res non ex nutu cadere, sed in Molinæ damnationem verti, cognoverunt, pristina confidentia dejecti, compositionis conditiones solliciti quaerere, Ferrariam ad Episcopum Foroliviensem, Clementis VIII. Theologum, epistolas dedere, suam ut auctoritatem, & gratiam apud Sanctissimum interponeret; quo unicuique litigantium pari dogmata sua probabilitatis jure tueri liceret.

Has ipsas compositionis, ac pacis conditiones, sibi, alia tamen in causa, a Pelagianis ablatas, scribit Augustinus lib. 2. de Peccato Originali cap. 23. *Volentes hereseos astute invidiam declinare, asserunt, istam præter fidei periculum esse questionem: ut videlicet, si in ea fuerint exorbitasse convicti, non criminaliter, sed quasi civiliter errasse videantur. . . . Perpicitis, id eum egisse hac prælocutione præmissa, ut si quid in illo apparuerit erroris, non in fide, sed in questionibus, quæ sunt præter fidem, videretur errasse: ubi est corrigendus est error, non tamen, tanquam heresis, corrigatur; & qui correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen, tanquam hereticus, judicetur.*

Respondit prudentissimus præsul, nequaquam sibi conditionem probari; quin potius iniquum plane videri, ut qui Prædicatorum doctrinam Calvinismi sapius accusaverant, eam tandem, in eundem pacis obtentu, ut probabilem, permitti postularent. Quare spectandum addidit institutæ Congregationis iudicium; ut probatis utriusque doctrinæ meritis, quid posset utrique parti permitti, dignosceretur.

Rejctis itaque pacis conditionibus, bellum novis conatibus instaurarunt. Prolixum opus adversus physicam Prædeterminationem edidit Michael Vasques de Padilla, & Bartholomæus Peres, Summo Pontifici exhibendum. Multa ex Scripturis, Conciliis, Patribus, antiquioribus Theologis, ac potissimum ex Concilio Tridentini secretioribus Actis congestere, ut liberum arbitrium, quavis gratia motum, & excitatum, posse dissentire, si velit, ostenderent. Id nusquam a se negatum, quin potius perpetuo stabilitum, responderunt Prædicatores. Novos velites derisere; dignos sane, qui in aera certarent, in quos propterea illud Poætæ merito caderet: *Et magna peragunt sedulitate nihil.*

Theologicis lubricationibus Principum gratiam addiderunt. Commendatitas epistolas ad Romanæ Curie Principes undequaque emendarunt; ut quod juris æquitate non poterant, favoribus obtinerent. Mariam Augustam Imperatricem, sibi jam dudum devotissimam, implantarunt; quæ Litteras ad Clementem VIII. die 14. Novembris 1598. potentissimas dedit, quibus Sanctitati Sux causam Ludovici Molinæ instantissime commendabat: (2) Alias eadem ipsa urgentissimas addidit die 2. Decembris ad eminentissimos Cardinales Aldobrandinum, Madrutium, S. Severinæ, nec non

non Ducem de Sessa, Regis Catholici Oratorem, ut Societatis causâ gratificarentur. (1) Nec minus efficaces ad Clementem VII. dedit epistolas filius ejus Albertus, Archidux Austriae die 26. Aprilis anni proxime sequentis, quibus datam jam pridem Molinæ approbationem in Lusitanæ Inquisitionis Senatu significabat, gratiamque eo præsertim titulo rogabat, quod sui ipsius honor hac in causa in discrimen vocari videretur. Has machinas Curie Romanæ gratiam aucupaturi Jesuitæ tentabant, mulieresque Theologicis concertationibus immittebant; cum jam e contra omnia pro FF. Prædicatoribus ex gratia facta fuisse, lepide conquerantur. (2)

Sub ea circiter tempora, die scilicet 29. Novembris 1598., novi Molinæ defensores Hispani, suppetias laturi, Romam appulerunt, Christophorus Cobos, & Ferdinandus de Baitida, ac paulo post Joannes Salas; plurimis contra Bannesium lubricationibus, & scriptis onusti. (3) Statim pro viribus entii ceperunt, ut injecta contra Bannesium de singularibus quibusdam assertis, ab ipsa Schola sua minime probatis, accusatione, res alio diverterent. Ad intemptivi accusatores sera expostulatione dejecti sunt. Jam scilicet, die mensis ejusdem 22. ultimo confesso habito, primi examinis recognitionem absolventer selecti Censores; Molinæque Censuram, omnium nomine instruendam, commiserant Congregationis Secretario: quam tandem in solemnem Congregationem ledam, & approbatam, uno Antonio Bovio duntaxat excepto, confirmavit die 12. Martii 1599. „Quoniam niam vero, inquit Secretarius in Actis, omnes, uno excepto, ejusdem erant sententiæ, placuit omnibus, ut assumerentur quidem singulorum scripta, ut facta testâ conservarentur; unus tamen, omnium nomine, Censuram in Librum CONCORDIÆ Patris Molinæ componeret; quo facilius omnium Actorum Sanctissimus certior fieret. Elegerunt ad hoc munus obeundum communi omnium consensu F. Gregorium Lufitanum, Doctorem Theologum, ex Ordine S. Augustini, Congregationis Secretarium: Quod & approbavit bonæ memoriæ Cardinalis Madrutius. Completum fuit opus illud, & coram Congregatione relatum, ab omnibus, uno excepto, approbatum, die 12. Martii anni Domini 1599.

Servatur hujus Censuræ exemplar primigenium, in Angelica Augustiniensi Bibliotheca: Opus ære dignum. Complectitur ipsa Congregationum Acta, earumque de Molinæ principiis propositionibusque ad illa redactis iudicia, innumeris Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum; præsertim vero SS. Augustini, & Thomæ testimoniis confirmata.

Tantus hujusce latæ Censuræ rumor in Hispania volitavit, ut rem ultimo iudicio eliquatam crederent universi; donec Cardinalis Bellarminus, datis ad P. Antonium de Padilla litteris die 18. Augusti, causam adhuc sub Summi Pontificis iudicio stare, testatus esset.

Non morabor hic studiosos hujus Historiæ depravatorum aberrationes; qui ut Censuræ, in hocce primo examine latæ, robor, & auctoritatem imminuant, nugæ loquuntur: ita quippe faciles sunt, & ineptæ, ut ipsa sui vanitate diffidentur. Quid etenim? Censores, inquit, iniquo in Societatem animo fuerunt, oculis inimicitias, ac simulatibus occupati, adversæ partis gratia circumventi, nec satis pro argu-

menti dignitate periti. Ita scilicet respondent Petrus a S. Joseph, Paulus Leonardus, Martines de Ripalda, Germanus Philaletes, novissimus Quæstionum eventuator. (4) Sunt illa jam dudum nota miserorum cruda solatia; ut causa dejecti, culpam omnem in iudicium iniquitatem, aut ignorantiam transferre soleant. At nulla horum apud æquos æstimatores habetur ratio, donec vagæ, & indifferetæ criminacionis capita probentur. Stat enim de iudicibus, ab Apostolica Sede specialiter deputatis, æqua integritatis, ac sufficientiæ præsumptio, cui tot illæ voluticæ querulorum oblocutiones offere nequeant: cum potissimum tanta de iis apud Sanctissimum Pontificem existimatio fuerit, ut, novis ejusdem causæ instructis examinibus, alii que subinde iudicibus paulatim additis, horum tamen nemo unquam amotus fuerit.

Vanæ huic, ac futili de iudicibus expostulationi id unum reponere satis fuerit, quod alias Augustinus non abimili profus occasione reponerat: *Si tales iudices, quales desideravit Salustius, quæretis; sanctis Episcopis, qui de hac re ab odio vestri, vel amicitia, vel ira, vel misericordia pro vobis, vel contra vos vacuum pectus habuerunt, quando de hac re veras, tranquillisque sententias præstulerunt, utique cederetis. Quos nunc vobis parum est iudices nolle, nisi etiam reos facere insuper audeatis.* Lib. 3. contra Julian. cap. 1.

Addunt viri queruli, „Non satis hoc in examine temporis infumpum; utpote quod die 2. Januarii ceptum est; die vero 13. Martii, consummatum. Verum non advertunt, duobus antehac mensibus designatos fuisse Censores, qui ante Conventuum celebrationem, in privata Molinæ lectione, ac meditatione totum illud tempus impenderant. Quamquam nec in iis duntaxat undecim prioribus Congregationibus stat primum illud examen; sed & in ipsa maxime earumdem Congregationum recognitione, qua demum absoluta, totius venerandi Ordinis nomine Censura edita est: adeo ut non duorum, aut trium mensium, sed unius, & amplius anni cognitio dicenda sit.

Tandem omni pudoris sensu deposito, plures in ferenda Censura Molinæ adfuisse volunt inepitiam audacissimi Venditores, qui non historias scribere, sed fabulas garrire gestiunt. Hos ad Secretarii Acta mittere juvat; ubi, nisi propriis perspicillibus falli velint, ista legent: *Quoniam vero omnes, uno excepto, ejusdem erant sententiæ &c.* ut supra.

Hæc pro fabulis confutandis obiter dicta velim: jam historicam narrationem resumo.

Cum primum Patribus Societatis innotuit, Episcopos, ac Theologos Consultores, post primi examinis recognitionem, edenda Censuræ provinciam Secretario commississe, nihil sibi cunctandum existimaverunt, ut imminens capiti fulmen averterent. (5) Verebantur enim, nec immerito; ne ob instantes Regis Catholici preces, Clementi VIII., Ferraria Romam reverso, per ejus Oratorem oblata, definitionem causæ maturaret, datamque Censuram Pontificia auctoritate confirmaret. Molina, audito rei nuncio, Libellum supplicem Pontifici Maximo exhibendum curavit die 1. Januarii 1599., quo preces, ante menses decem, & octo, litteris delegatas, denuo ingerebat, & meditata a Consultoribus Censuræ exemplum ad se transmitti precabatur, quo fidem purgaret suam, & objecta dilueret.

BEA-

(1) Pegna in Rel. 3. ad Gener. Inq. (2) Paul. Leon. 1. p. sect. 7.

(1) Ortega cont. 3. de decret. disp. 1. q. 4. cert. 3. (2) Annat. de Scien. Med. Ripal. disp. 113. sect. 13. (3) Ripal. disp. 113. sect. 9. & 12. (4) Petr. a S. Jos. in sua Conc. diss. 4. sect. 4. Paul. Leon. 1. p. sect. 4. Ripal. disp. 113. sect. 9. & sect. 13. Germ. Phil. c. 3. §. 24. (5) Ex Coro. in Relat. Act. 14. Sept. 1605.